

gorius, partum denunciat; illa virginitati completur, castitatem preferens Angelice apparitioni. Non quod non esset obediens Divinae voluntati; sed quod vellet, si posset, virginitatem conservare.

X. Sequitur nunc Salutationis Angelicæ clausula, datique a Virgine paritura consensus, fructus plane Divinus: Dei scilicet facti hominis conceptio purissima, quæ Angelo discedente, in utero virgineo Spiritus S. virtute perfecta est. Quæ ut novam, ubereque dicendi materiam præbet, ita distincta, ac peculiari exercitatione pertractabitur.

EXERCITATIO XXVII.

De Christi conceptu peracto in Virginis utero.

I. Explicatio in antedictis Dominica Conceptionis nuncio, ad Virginem parituram allato, pauca nunc de hac ipsa conceptione in utero virgineo peracta, dicenda veniunt, quæ nos haud longo tempore detinebunt. Ne quid ergo indicium prætermittamus, quod ad tanti Mysterii elucidationem conducere valeat; tria ad examen vocabimus, quæ sola reliqua esse videntur. 1. Quondam Christi conceptio peracta sit? Num sub ipsum Angelicæ salutationis initium, dum ea simpliciter verba protulit Angelus: Ave gratia plena, Dominus tecum? Num ad colloqui clausulam, dum suam paritura Virgo hisce verbis dedit assensum: fiat mihi secundum verbum tuum? 2. Sit ne Christus conceptus in utero Virginis? Nec enim desuere, qui contra fenserint. 3. Quas in ea conceptione Spiritus S. partes habuerit: Quas Virgo Deipara? Quæ tria ut femel explanata fuerint, & soluta, nihil erit ultra, quod studiosam juventutem hac in parte morari possit.

II. Et prima quidem controversia, quam est soluta facilis, si ex Sacris Litteris expendatur, tam erit difficilis, si ad Patrum, veterumque Scriptorum calculos exigatur. Quid enim apertius in Evangelio, quam necdum tunc fuisse conceptum Christum Dominum, dum primum ab Angelo gratia plena dicta est Virgo: cum toto illo continuato colloquio, de hac ipsa conceptione, uti de te nondum peracta, sed peragenda, secum invicem Gabriel, & Deipara colloquantur? Ecco concipies in utero, & paries filium, ajebat Angelus; cui Virgo: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Ad quæ ille: Spiritus S. superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; Cui demum Virgo: fiat mihi secundum verbum tuum. Quæ omnia futuram etiam tunc conceptionem indicant, non peractam. Lucas quoque Cap. 2. v. 21. veluti de suo observat: Nomen Jesu vocatum fuisse ab Angelo, priusquam in utero conciperetur: vocatum est autem ab Angelo salutare nomen in colloqui prosecutione, dum inquit: vocabis nomen ejus Jesum; non igitur sub ipsum salutationis initium in utero conceptus est. Angelum etiam legatum ad Virginem constat, ut assensum ejus, quo Dei Mater fieret, obtineret: quem tamen illa non dedit, nisi sub ipsam colloqui clausulam, Angelo subjungens: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Quid igitur illam, conceptam in antecessum Dei Verbo, Dei Matrem effectam effutamus?

Nihilotenus ubi Ecclesiæ Patres consulo, Ambrosium, Hieronymum, Petrum Alexandrinum, Gregorium Neocæsariensem, Proclum Constantinopolitanum, Petrum Damiani; aliud mihi subolet, parumque abest, ut Christum sub ipsum salutationis initium, atque ad prima Angeli verba, quibus gratia plena dicta est Virgo, conceptum agnoscam. Quid enim aliud sibi vult illud

Hieronymi Epist. 140. ad Principiam? Sancta Maria, quia conceperat eum, in quo omnis plenitudo Divinitatis habitat corporaliter, plena gratia saluatur. Jam ergo conceperat, dum est salutata. Quid aliud illud Ambrosii sonat lib. 2. in Lucam Cap. 1. Soli Maria hæc salutatio servabatur. Bene enim sola gratia plena dicitur, quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratia repletur auctore. Quid illud D. Petri Alexandrini longe disertius in Actis Concilii Ephesini, & Chalcedonenis? Tunc Verbum caro factum est, cum Angelus Sacram Virginem ejusmodi oratione salutavit: Ave gratia plena, Dominus tecum: hoc est Dei Verbum tecum est. Nam illa Gabrielis Salutatio Deum Verbum in utero Virginis natum, & carnem factum significat. Quid illud Gregorii Neocæsariensis, Orat. 2. de Annunciatione, quæ a nonnullis Joanni Chrysostomo tribuitur? Angelus illis verbis, Ave gratia plena, Virginem compellavit, ac salutavit. Quæ quidem verborum voce ad eam facta, in ipsa vox auditione, Spiritus S. in immaculatum Virginis templum ingressus est, & sanctificata est mens ejus simul cum membris. Quid illud Petri Damiani Serm. de Annunciatione? Etiam antequam ad Virginem Gabriel perveniret, invenit Deum virginis illapsus visceribus, & majestatem Dei virginis ventris brevitate conclusam. . . unde Archangelus non ait: ave gratia replenda, sed plena: non Dominus venit in te, sed Dominus tecum: quia inde eam totam sibi respuerat Spiritus Sanctus, & cælestibus insignierat ornamentis. Quid illud demum Procli Patriarchæ Constantinopolitani, Orat. 6. in Sanctam Deiparam? Adeo erat humana mente incomprehensibile Sacramentum, adeoque mirabile arcani partus miraculum: quando Sancta ipsa Virgo, quæ Deum gestabat Verbum, conceptus animi erat de Angeli verbo: gaudebat inus de Incarnato ex ipsa, eique, qui foris alloquebatur, contradicebat: complectebatur Thesaurum vite, vocemque salutantis animo volebat. Nempe, si bene concipio, Verbum jam ingratum, uteroque gestatum, atque conclusum ait Proclus, dum Virgo salutanti Angelo visa est contradicere, inquires: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? dumque cogitabat, quæ, & qualis esset ista salutationis.

Sunt hæc, fateor, longe gravissima, & quæ Christum in ipso salutationis Angelicæ proliquo conceptum, Deumque factum hominem evincere videantur. Verum quia incredibile est, Patres multos a recto Evangelii sensu, in re etiam compertissima aberrasse: aliique Patribus longe pluribus, qui Christum non nisi in ipsa colloqui clausula, ac post datum assensum, a Virgine conceptum existimant, repugnasse: Augustino scilicet, Sermone 18. de Sanctis, Gregorio Magno lib. 18. Moraliu. Cap. 27. Basilio Seleuciensi, Orat. de Annunc. Joanni Damasceno lib. 3. de fide Cap. 2. Bernardo Serm. 4. super Missus est, Sedulo lib. 2. Paschal. Prudentio in Carmine contra Homuncionitas, Ruperto lib. 1. de Spiritu S. operibus Cap. 9. Pseudo-Athanasio Sermone de Sanctissima Deipara: idcirco illorum testimonia, tametsi prima fronte disertissima, emollire, atque in rectum sensum inflectere necesse est.

III. Hieronymus igitur, qui Mariam uti gratia plenam ab Angelo salutatum scribit, quia Christum conceperat, non id sibi vult, Mariam Christum antea concepissem, quam gratia plena salutaretur ab Angelo: equis id sibi fingat? Sed id unum: præcelsum illum Dei Matris titulum, ad quem a Deo prædestinata erat, in causa fuisse, cur gratia plenitudinem a Deo sit consecrata, atque ut talis ab Angelo salutata. Quo perinde sensu, Ambrosius Mariam gratia plenam ab Angelo

gelo dictam ait, quæ sola gratia auctore repleta est: non tamen quia jam tunc repleta esset: sed quia summum illud decus, ad quod jam erat a Deo destinata, eam in illa gratia plenitudinem requirebat, quæ tunc erat ornata, cum salutabatur ab Angelo.

Petrus Alexandrinus totam, & integram salutationem intelligit, non priorem dumtaxat partem ejus; est ex prioribus dumtaxat verbis, ut moris est, eam indigit, ut videlicet sensus sit: Verbum factum esse hominem, dum absoluta est Angelica salutatio, eidemque dedit assensum. Integra enim salutatio Verbum significat Incarnatum, seu factum hominem, non priora dumtaxat verba ab Angelo pronuntiata: cum, quæ subinde sequuntur, Ecce concipies in utero, Verbum significat concipiendum, non conceptum. Idem Gregorius Neocæsariensis intellexit est: ideo vel maxime, quod Spiritum Sanctum in Virginis uterum ingressum dicitur non in ipsa verborum Angelicorum prolatione, sed in ipsa vox auditione; dum scilicet illis auditis, assensus a Virgine præstitus est.

Petri Damiani auctoritas perperam obruditur. Nihil enim hujusmodi habet in Oratione de Annunciatione, qualis in ejus operibus prolat: sed potius oppositum legitur, nempe: Missus est Gabriel Angelus a Deo ad Virginem: quæ, postquam ei Gabriel locutus est, sensit Deum suis illapsus visceribus, majestatemque illius virginis ventris brevitate conclusam. Quæ verba Christum conceptum indicant, ad salutationis Angelicæ clausulam. Inepti autem, insulsi interpolatoris audacia fuit, quod Petri Damiani sermonem apocryphis D. Bernardi Sermonibus inferens, (illic enim exrat hodie sub titulo Sermonis 2. de Conceptione) recitatum modo periodum vitiarit, corruerit, inquinavit; ac pro eo, quod verus auctor scripsit, postquam ei Gabriel locutus est, de suo ille posuerit, antequam ad Virginem Gabriel perveniret: futilemque proprio Marte rationem addiderit, qua infartum errorem communitur: Archangelus non ait, ave gratia replenda, sed plena: non Dominus venit ad te, sed Dominus tecum: Quod ad Incarnationem, in ipsa priorum illorum verborum prolatione peractam demonstrandam, quam sit frivolum, nemo non videt. Cum ea Angelica verba, Ave gratia plena, Dominus tecum, non ad Dei in utero Virginis præsentiam per Incarnationem referantur; sed ad peculiarem sanctificationem, & dilectionis gratiam, qua Deus Virginem etiam ante nuncium Angelicum prosequatur. Aut si ad Dei præsentiam per Incarnationem referri quis velit; ad eam utique referat, non quæ jam esset, sed quæ proxime foret. Præsertim cum ea voces, Ave gratia plena, Dominus tecum verbo careant præsentis temporis, absoluteque proferantur, ut ad futurum etiam tempus trahi possint.

Unus superest Procli Patriarchæ Constantinopolitanus, cujus verba superius recitata in rectum sensum flecti nequeant. At unus dumtaxat Scriptoris auctoritas, cæteris Ecclesiæ Patribus dissidentibus, fluxa est. Maxime cum illa ejus in Sanctissimam Deiparam Oratio, unde recitata verba excerpta sunt, nensis, nugis, ineptisque colloquutionibus infarta sit, nec erroribus proflus immunis; quæ vim illi omnem, & auctoritatem eripiant, Quos inter errores, non infimus ille est, qui in hac ipsa recitata sententia continetur; quo nempe Deiparam Virginem salutanti Angelo contradixisse comminiscitur.

IV. Sed de his fufius, quam par erat, fortasse diximus. Nunc altera quaestio nos urget, antiquis Theologis ignorata, quæmo nos ipsi intactam relinqueremus, nisi ad eam agendam imprudens,

& inconsulta quorundam pietas provocasset: num in Virginis utero, aut in corde ejus, aut certe in parte cordi proxima conceptus sit Christus? Fuit enim, vertente sæculo decimosesto, qui istud alterum deliravit, Petrus Lucentis Canonius Regularis, falsa muliercula cujuspiam testificatione delusus, quæ id sibi per fomium divinitus patefactum affirmavit; ratus non illo invento Christi honori, ac dignitati multo melius consultum iri.

Consultum tamen minime fuisse, ex Sacris Litteris liquet; ex quibus quid verus Christi honor postulet, nosse licet. Quoties enim Christi Domini conceptionem memorant, toties ferme in utero, aut in ventre, in quo uteris ipse est, factam contestantur. Matthæi Cap. 1. v. 18. Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto, v. 23. Ecce Virgo in utero habebit. Luca Cap. 1. v. 31. Ecce concipies in utero, & paries Filium, v. 41. Benedictus fructus ventris tui. Luca Cap. 2. v. 21. Priusquam in utero conciperetur. Luca Cap. 11. v. 27. Beatus venter, qui te portavit. Liqueat id perinde ex Patribus, qui eo maxime titulo Virginis uterum miris laudibus celebrant, quod Christum complexus sit, foveritque, donec eum in lucem emitteret. Quos inter præcipui sunt, Tertullianus lib. de Carne Christi Cap. 4. Origenes Homil. 14. in Lucam, Gregorius Neocæsariensis Orat. 2. de Annunciatione, Gregorius Nyssenus Oratione de Nativitate, Epiphanius Oratione de laudibus Deiparæ, (non Magni Epiphanius Salaminae in Cypro Episcopi Oratio illa est, sed alterius recentioris cognominis, & Insularis Episcopi.) Augustinus Oratione contra Judæos, & Paganos Cap. 9. Ambrosius lib. de Institut. Virgin. Cap. 14. Hieronymus in Psal. 18. Fulgentius Sermone de laudibus Deiparæ, Proclus Homil. de Christi Nativitate, Andreas Jerosolymitanus Orat. in Salutationem Angelicam, Hildephonus lib. de perpetua virginitate, Petrus Damiani Serm. de Annunciatione, Bernardus Sermone de Assumptione.

V. Nec audiendi, qui ad tñendum Petri Lucentis errorem, fortasse reponerent, virginis uteri vocem, de quo Sacra Litteræ, Patreque Ecclesiæ tam multa, atque miranda præclare dixerunt, latius accipi; ut nimirum ventrem superiorem, seu thoracem, ipsumque etiam cor, aut certe partem cordi proximam complectitur. Id enim vera, propriaque vocis hujus significatio non patitur: ac si ita communissimas voces in alienum sensum detorqueere licet, nihil jam certi ex Sacris Litteris, Patribusque licebit extundere. Certe uteri vocem stricto sensu intellexit Virgo Deipara, dum dicenti Angelo: ecce concipies in utero, & paries Filium; illico reposuit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Si enim se in corde, aut juxta cor concepturam intellexisset, quo sane viri opera non pertingit, frustra se virum non cognoscere reposuisset, ut patranti miraculi modum addiceret.

Multo minus audiendi veniunt, qui dicerent: Ex Sacrarum Scripturarum usu, uteri vocem, aut ventris, humani corporis partem, ad conceptionem & feturam, destinatam in foemina, non semper significare: ut lib. II. Regum Cap. 7. Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo. Et Psal. 131. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam: Ubi Davidis lumbi, & quibus erat Salomon egressurus, venter uterisque dicuntur. Quamquam enim partem, a natura ad feturam, destinatam in foemina, non semper uterus sonet: generatim tamen & univèrse, partes generationi ac feturæ naturaliter servientes, seu naturalia ad generationem instrumenta & organa, (seu sint illa in

in feminis, seu etiam in viris) necessario significat. Atque ita ubi de Deipara sermo venit, quae *concepisse in utero* dicitur; hac profecto nec in corde, nec in altera cordi proxima parte, ad futuram a natura minime destinata, credenda est concepisse; sed in ea, quae illo vere nomine nuncupatur, quaeque ad foetum concipiendum fovendumque, a natura necessario destinatur.

Accedunt momenta rationum, quae & suffugia illa occulant, & Petri Lucensis commentum ab imo suffodiant. 1. Nulla in corde, aut juxta cor cavitas extat, ubi concipi, formari, & fovique possit foetus humanus: ac si qua forte cavitas esset, non esset illa ad foetum formandum, fovendumque, a natura destinata: Christus autem, ut loquitur D. Ambrosius, *secundum conditionem naturae in utero semineo fuit*. 2. Si illic Christi corpus formatum esset, continuo per menses novem miraculo fuisset opus, ne Deipara a foetu illic apposito suffocaretur: miracula autem pro arbitrio fingere, ac sine teste, non licet. 3. Virgo Deipara, post menses a salutatione Angelica circiter tres, externa, palamque patetia graviditatis signa dedit; propter quae apud Josephum patrati Mysterii, atque prodigii nescium, in aliquam adulterii suspicionem venit; utique ob ventrem intumescens, Matth. 1. Si autem pectus illi juxta cor intumisset, non in patrati adulterii, sed in contracti morbi alicujus suspicionem venisset: nec dimittenda fuisset ut lapsa, sed curanda ut agra. In utero ergo, unde graviditatis signa prodibant, foetum conceperat, gestabatque Virgo, non juxta cor. 4. Virgo partui proxima *pregnans* in Evangelio dicitur, Luc. 2. ut proficeretur cum Maria desponsata sibi uxore *pregnante*: quo nomine ea solum intelligitur mulier, quae infansem egressum proximum gestat in utero. Quae enim, aut in corde, aut in stomacho, aut alia corporis sui parte gestaret puerum, *pregnans* ineptissime diceretur. 5. Virgo veri, propriique nominis Mater est Christi Domini: non esset autem, nisi accepta Spiritus Sancti virtute, loco subinde a natura destinato, ac naturalibus instrumentis, & organis, ad ejus corporis formationem, concursum omnem adhibuisset, quem solent caeterae matres adhibere. Uti nec Pater, nec Mater Eva dicitur Adam, quamquam ex aliqua ejus parte a Deo formata sit. Locus autem ad conceptionem a natura destinatus, uterus est; naturae instrumenta, & organa illic extant, ac vigent. Qui ergo Christum extra uterum in corde, aut juxta cor conceptum effudit, Matris honori detrahit, nobilissimumque illi titulum eripit; dum honori Filii, dignitatisque consultum vult.

VI. Sed nec Filii honori consulti systema illud absurdissimum. Honor quippe Regis iudicium diligit: nec qualis libet, lubetque, fingi debet, sed qualis Sacris in Litteris definitus est. Ex quo enim pro salute hominis verus homo fieri voluit, versusque hominis filius; id verus ejus postulabat honor, ut vere conciperetur, vere nasceretur ex Matre. *Misit enim Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* Ad Galatas 4. v. 4. Id si forte humana menti minus honorificum videatur, non ideo minus honorificum est; ne & pari libertate Christum flagellis casum, spinis in ludibrium coronatum, Cruci suffixum, & cum iniquis reputatum negemus; quae multo magis indecora videri possent: sed Hieronymi recolenda sententia est, lib. contra Helvidium Cap. 9. *Quanto sunt humiliora, quae pro me passus est, tanto plus illi debeo: ista nec erubescimus, nec silemus.* Matris uterum, tamen virgineum, adhuc

tamen Divinae Majestati concipiendae, fovendae, gestandae indignum profitetur Ecclesia, in pia illa solemni precatione, cuius auctores Augustinum, & Ambrosium perperam vulgus facit: *Tu ad liberandum suscepimus hominem, non horruisti Virginitatem uterum: non ideo tamen negat, sed ob id ipsum summas illi gratias agit, veneraturque impensius.*

VII. Nec quemquam movere debet, quod Virgo Christum corde concepisse quandoque legatur: ut apud Prudentium in Carmine contra Homuncionitas:

*Virginitas, & prompta fides Christum bibit
alvo*

Cordis, & intactis condit paritura latebris.

Et in sexto Responsorio festi Circumcisionis: *Confirmatum est cor Virginis, in quo Divina Mysteria Angelo nunciante suscepit.* Figurata enim, non propriae locutiones illae sunt, quibus non tam nudam Virginis conceptionem expressam voluere, quam fidem, charitatem, ac pietatem, quae Christum concepti utero. Aut certe cum Virgo Christum non uno modo conceperit, sed duplici: fide primum, ac spiritu, dum nunciante Angelo fidem dedit; tum carne, dum obumbrante Spiritu Sancto Christi corpus utero complexa est: juxta celebratum illud Divi Augustini lib. de sancta virginitate Cap. 3. *Beatorum fuit Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. . . Materna propinquitas nihil Mariae profuisset, nisi felicitas Christum corde, quam carne gestasset: priorem conceptionem ea loquendi formula expressam voluere, non alteram, quam aliis ibidem verbis, isque propriis significavit. Prudentius quidem ita canens:*

Intactam thalami virtus Divina puellam

Sincero afflatu per viscera casta maritat.

Ipsa coruscantis monium Sacra Virgo ministri

Credidit, atque ideo concepit credula Christum.

En tibi Christum castis visceribus conceptum. Responsorium autem sextum: *Confirmatum est cor Virginis, in quo Divina Mysteria Angelo nunciante suscepit, quae speciosum praesens filii hominum castis concepit visceribus.*

Eodem sensu accipiendae veniunt aliae loquendi formulae Patrum, Scriptorumque Ecclesiasticorum, qui vel Virginitatem aurem concepisse; vel Dei Verbum ad Virginem per aurem illius esse, pronunciarunt: ut est apud D. Augustinum Serm. 10. de Tempore, Gregorium Neocesariensem, seu Joannem Chrysostomum Orat. 2. de Annuntiatione, Proclum Constantinopolitanum Homil. de Incarnatione. Figurata, non propriae formulae illae sunt, quibus id unum significatur: vocem Anglicam Virginis aurem perceptam, cui & ipsa fidem adjunxit, primum veluti instrumentum fuisse, quo illa ad Christum utero concipiendum adducta fuit. Perfatum quippe esset, Virginitatem aure ipsa, tamquam efformandi foetus officina, concipientem sibi fingere. Nec Divinum Verbum sua ipsius natura immensum, aure, vel ore, aliave corporis forata parte, in Virginitatem illabi opus habuit, ut humanae illi naturae uniretur, quod ibi semper fuit, & est; est non illic semper humanam naturam hypostatice terminasset. At quibus possunt verbis, tanti Mysterii excellentiam, & magnitudinem Patres exprimit.

Turgidior fortasse, ac nimio major S. Fulgentii metaphora videri poterit, Sermone de laudibus S. Mariae: *O conjunctio sine sordibus facta; ubi maritus sermo est, & uxor auricula.* Sed & ille sermonem Anglicum maritum dixit, quod externum virginis fecunditatis instrumentum fuerit, Mariam ad praestandum assensum invitans: Virginis auriculam uxorem vocitavit; quod organo

no illo excepta sit Angelica vox, fecunditatis nuncia, & administratrix.

VIII. A refutato Petri Lucensis errore, non admodum distat pia in speciem quorundam speculatio; qui Christum licet nec in Virginis corde, nec juxta cor conceptum agnoscant, ex cordis tamen sanguine, corpus ejus efformatum meditantur: rati forte, id ad summum & Matris, & filii decus pertinere. Non una tamen omnes, eademque procedunt via. Alii enim ex repentina Virginis ad nuncium Anglicum turbatione, factum existimant, (quod & communiter fieri arbitrantur) ut sanguinis plurimum ad cordis munimentum retraheretur: ex cuius subinde guttis, Christi corpus divina Spiritus sancti vis efformaverit. Quod viri cuiusdam illiterato quidem ac simplici, pio tamen ac religioso, in visione divinitus patefactum scribunt, Joannes Nider Sermone de Annuntiatione, Pelbartus lib. 1. Stellarii parte 7. art. 7. & Celada in *Juditha figurata* N. 56. Alii rem aliter gestam meditantur, nec Virginis turbationi atque timori factum adscribunt, sed amori illius in Deum perfectissimo: in quibus princeps est Agridenis Abbatissa, divinitus, ut ipsa quidem ait, edocta, *Virginem, audio nuncio Angelico, quo se in Dei Matrem electam dicit, tanto in Deum amore exarsisse, ut ex compresso ipsius corde, tres sanguinis guttulae stillarent; ex quibus in locum conceptionis aptum a Spiritu sancto deductis, compactum est Christi corpus: quod idcirco primo animationis instanti, ad unius duntaxat apicis magnitudinem accessit.*

Temere tamen omnes atque futiliter meditantur: non ob id tantum, quod nulla Patrum veterumque suffragatione nitantur; inanibusque revelationibus insistant, quae uti fecum invicem pugnant, ita a Deo esse non possunt: verum etiam quod speciosa pietatis obtentu, Divinae Incarnationis Mysterium non mediocriter labefactent. Ad humanam quippe Christi Domini conceptionem, & Marianam maternitatis veritatem pertinet maxime, ut ex eo Virginis sanguine, formatum sit Domini Corpus, qui solet a natura, ad foetum humanorum formationem, in feminis destinari: seu, ut habet Doctor Anglicus 3. par. quaest. 31. art. 5. *Ad naturalem modum generationis Christi pertinet, quod ejus materia, de qua corpus ejus conceptum est, sit conformis materiae, quam aliae feminae subministrant, ad conceptionem prolis. Haec autem materia, secundum Philosophum in libro de generatione animalium, est sanguis mulieris, non quicumque, sed perductus ad quandam ampliorem digestionem, per virtutem generativam matris, ut sit materia apta ad conceptionem: & ideo ex tali materia fuit corpus Christi conceptum.* Hinc universus Theologorum Ordo, Christi Domini conceptionem, ex parte (ut ajunt) principii activi, supernaturalem quidem docet, ex parte principii passivi, seu materiae ad Corporis formationem ministratae, connaturalem contendit: quod eam formationis materiam ministraverit Virgo, quae est a natura ad id operis destinata. Imo nec fore Mariam, Dei facti hominis veram Matrem evincunt Theologi, si ex altera illius substantiae parte Christi corpus Divinum Spiritus compegisset, quam quae ad id a natura destinata est. Uti profecto non fuit Adam Eva mater, est ex illius substantiae parte, educta scilicet costa, Eva corpus Deus rerum omnium Conditor efformasset. Certe si ad connaturalem veramque Dominici Corporis conceptionem, necesse fuit, ut in utero fieret, loco utique a natura ad id operis destinato; (quod contra Petri Lucensis errorem fufus demonstravimus) multo magis, ut ex ea quoque materia fieret, quam natura ad id operis subministrat? Quis porro Cordis sanguinem, a natura, ad foetus formationem, in feminis destinari commentus est unquam; seu fit ille, ex corde stillatus, ut putant aliqui, feu ad cordis munimentum, in repentino timore confluerit?

IX. Addiderim, totum id Levitatis plenum esse, quod a piis illis Contemplatoribus fingitur: peculiarem scilicet aliquem Cordis Sanguinem esse; ex quo Christi Corpus, aut si lubet aliud, compingi poterit, ac deberit. Cum enim inter omnes Medicae facultatis peritos confiter hoc tempore, eum ipsum sanguinem, qui hoc puncto temporis in corde est, consequenti proxime puncto, extra cor esse, aliasque partes adire; ejusque loco sanguinem, ab aliis redeuntem partibus, cor subire; ut leges postulant circuitus ipsius sanguinis: necessario inde consequitur, nullam omnino esse sanguinis partem, quae cordis sanguis appellari jure ac merito possit; eoque titulo excellentioris sit dignitatis, atque praestantia.

Neque, ut vulgo creditur, in repentino timore, ad cor veluti munimentum retrahitur sanguis; cuius indicium putatur esse subitaneus oris pallor, artuumque tremor. Verisimilius longe est, ideo pallere timentis faciem, artuumque tremere; non quod sanguis ad cor munimentum eo tempore retrahatur: neque enim per arterias, obstantibus valvulis, quae ad harum initium sunt, regredi ad cor potest: sed quod propter spirituum animalium perturbatum in cerebro motum, aut imminutum, minor horum copia per nervos ad cor effluat; atque ita nequit illud, ea qua confuevit, & opus est, vi sanguinem pellere per arterias, ad partes praestertim remotiores, faciem nimirum, & artus: Quamobrem consequitur, hos tremere, illam pallere.

Ut cumque tamen res ipsa contingerit in virgine derepente turbata; ac seu etiam, quod putant ii, ad cor ejus muniendum, retractus illi sanguis fuerit: nihil id ad praesens quod agimus intulerit; Christi scilicet corpus, ex retracto ad cor sanguine efformandum. Cum nonnisi depulsa trepidatione, atque ubi in arterias sanguis placida fluxu rediisset, Christi in ea conceptio perfecta sit: Dum nimirum intellecta implendi in ipsa Mysterii ratione, sedatoque jam animo, suum nunciante Angelo dedisset assensum.

X. Sed nec miraculo tribuenda venit, ea Dominici Corporis, cum primum animatum est, exiguitas tanta, ut ad unius duntaxat apicis quantitatem accesserit. Est enim id omnino secundum naturam, acciditque in communi hominum conceptione, quod divinitus in Christi Domini Conceptione evenisse, Agridenis Abbatissa existimavit. Audi Doctorem Anglicum id feliciter explicantem, Aristotelisque auctoritate, factoque experimento egregie confirmantem, in 3. sententiarum dist. 3. quaest. 5. art. 2. ad 3. *Dicendum quod quantitas determinata alicujus speciei, non est determinata secundum aliquid indivisibile: sed habet aliquam latitudinem; quia in specie humana invenitur major quantitas; & in eodem individuo secundum diversa tempora, & in diversis, ut ad sensum patet. Minimum autem quantitatis in uno individuo est, in primo instanti suae figurativae & animationis: quae quantitas adeo parva est, quod parum excedit quantitatem formicae, ut dicit Philosophus in libro 9. de animalibus, quod in quadragesima die, muliere pariente abortum, inventum est corpus prolis omnia membra distincta habere, quamvis in quantitate esset, sicut magna formica. Maxima autem quantitas in aliquo individuo est in ultimo termino augmenti: & sicut maximum differit in diversis, ita etiam proportionaliter illud minimum. Potest ergo esse, ut Corpus Christi in primo instan-*

ri conceptionis perfecte figuratum, haberet quantitatem sufficientem suae speciei: minorem tamen quam sibi deberetur, in principio suae humanitatis, si naturaliter conceptus esset, respectu quantitatis quam habuit in completa aetate, proportionaliter aliis hominibus. Ita quod usque ad quadragesimum, aut quadragesimum secundum diem crescendo, pervenit usque ad quantitatem illam, quae in eo debuit esse minima, proportionaliter in aliis hominibus: & deinceps crevit sicut & alii homines crescunt; ita quod totum tempus, quo in utero Matris fuit, augmento corporis ejus servavit, quod in aliis servit conversioni, figurati, animationi, & augmento. Audi nostra propiorum aetati locupletissimum testem, Constantium Varallum, magnae auctoritatis ac diligentiae Virum, quae sit auctoritatem suam quantitas, facto experimento explicantem lib. 4. Anatomiae Cap. 5. quod est de foetus formatione. Vidi ego in abortu quadragesima dierum, hominem distincte formatum, sub apice magnitudine: in quo oculi, nares, oris caritas, cor, pulmones, costae, dorsum, hepatis, diaphragma, ventriculus, vena, intestina, membrum virile: omnesque partes conspexi, aliisque quamplurimis, & tibi etiam (Caesarem Mediovilanum alloquitur) publice demonstravi. Extremitates autem incipiebant pullulare, erantque in proportione ad reliquum corpus minima; cum crura grani panici magnitudinem non excederent, brachia vero essent duplo minora. Quid ergo Christi Domini corpus, tribus duntaxat sanguinis guttulis, iisque de Deiparae Virginis corde fillatis, formatum dicamus, quod apud quantitatem, cum primum animatum est, non excederet? Appare ergo inania illa otiosorum hominum somnia.

XI. Tertium demum, quod nos initio promissimus tracturos, quoniam peculiarem difficultatem habet, peculiariter quoque explicandum est: quas scilicet, in hac mira Christi Domini conceptione, partes habuerit Spiritus Sanctus, quas Virgo Deipara? Quod ita breviter ex Doctoris Angelici mente expediri potest. Spiritus Sanctus purissimum Virginis sanguinem, ad Dominici corporis formationem necessarium, deduxit in utero, tanquam ad naturalem hujusmodi officii officinam: sacrum illic corpus effinxit, intravit organum, animavit; creatam scilicet animam aptavit, instructoque corpori uniendo: Virgine materiam omnem, atque substantiam, operamque a vulgaribus matribus in suorum foetuum formatione praestari solitam, conferente. Uno verbo, quidquid activae virtutis, & efficaciae in virili femine solet esse, hoc excellentiori modo Divinus praestitit Spiritus; quidquid corporalis substantia est in foetum transformanda, de Virgine sumpsit, non de sua substantia contulit; imo conferre omnino non potuit. Non sic tamen se res habuit in humanitate Divinitati uniendo, ut & ipsa in Filii persona subsisteret. Unius enim Dei id opus fuit, nihil ad id Virgine Matre conferente.

Hinc latissima via patet, qua Patres inter se specie tenus dissidentes mutuo conciliis: quorum alii Spiritum Sanctum feminis vices, in Christi conceptione gessisse ajunt, ut Joannes Damascenus lib. 3. de fide Cap. 2. & Auctor Operis imperfecti in Matthaeum, apud D. Joannem Chrysostomum, Homilia 1. Alii dissentent, ut D. Augustinus in Enchiridio ad Laurentium Cap. 38. & 39. Priores enim feminis vices episcopi Spiritum Saadum asserunt, illius duntaxat spectata activa vi, atque virtute: alii permarunt, spectata feminis substantia corporali, quam de suo Spiritu minime contulit, sed totam de Virgine sumpsit.

Patet & via expeditissima, qua questionem al-

teram solvas, ab Augustino susus agitatam, Capitibus 37. 38. 39. Enchiridii ad Laurentium: Cur Spiritus Sanctus Christi pater, secundum humanam naturam, non sit, qui tantas in ejus formatione partes habuit. Nempe ideo non est pater, quia nihil de sua substantia ad ejus formationem contulit: nec foetum ejusdem secum naturae produxit. Quae duo ad generationem, unde patris titulus oritur, Physici postulant. Cum contra, vere proprieque Christi Mater Virgo sit, quae & concursum omnem, quem solent caeterae matres, ad illius corporis formationem adhibuit; & suam ipsius substantiam contulit, & ejusdem secum naturae foetum edidit. Num autem perinde Dei Mater habenda sit, adversus Nestorianos loco suo disputabitur.

Caeterum dum Spiritum Sanctum activum Dominicae conceptionis principium dicimus, non ideo tamen Patrem Aeternum, ac Filium ipsum seclusos volumus: cum externa Dei opera totius Trinitatis communia sint. Sed quodam locutionis proprietate, id operis Spiritui Sancto specialius adjudicamus. Idque triplici de causa a Doctore Angelico insinuata 3. parte quaest. 32. art. 1. in Corp. 1. Quia Christi Domini Incarnatio Divini amoris opus est, juxta illud Joannis 3. Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret: Amor autem Spiritui Sancto tribuitur, ut potentia Patri, sapientia Filio. 2. Quia opus est maxime gratuitum, seu ex sola Dei gratia profectum; quod proinde Spiritui S. adjudicatur. 2. Cor. 12. Gratias gratiarum sunt, idem autem Spiritus. 3. Quia ad peculiarem humanitatis Christi sanctificationem valuit Incarnatio, juxta Angeli pronuntiationem Lucae 1. Quod natus est ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei, Sanctificatio autem proprium Spiritus Sancti opus dicitur esse.

Si vero in Christi Domini conceptione, non ipsam corporis formationem, & animationem spectes; sed ejus eum Dei Verbo unione, quae proprie Incarnatio est: haec spectata quidem ut actio, totius, modo jam dicto, Trinitatis est opus: at ut humanae naturae terminatio est, sustentatio, atque ut Schola loquitur, suppositio; haec nec Spiritus Sancti, nec totius Trinitatis, sed solus est Filii, qui solus dicitur factus homo.

XII. Dum finem dicendi faciam, inemendatum praeterire omnino non possum, Agridentis Abbatis commentum alterum nugacitatis plenum. Audiamus ergo, narrantem: Gravida Virgo Mater, non uno modo divini filii sui praesentia atque conspectu fruebatur. Eaque omnium maxima consolatione sustentabatur, dum intra purissimum uterum suum, tanquam per medium translucentium crystallum, humanitatem sacratissimam divinitatis luce splendens intueretur. Non leve etiam illi solatium erat, cum advolescentes in sinum suum aviculas cernebat, Creatorem suum adorantes, letoque cantu hinc indeque subsistens laudes ejus concinentes. Quod illi multis admodum vicibus contigit: Deo ita ad Matris solatium volente, atque jubente: ad quam etiam interdum flores elegantissimos rostro afferbant, dabantque in manus: sustinebantque donec illa canum ipsi imperaret. Nonnumquam etiam tempestatis inclementiam desogientes ac declinantes missella aviculae, ad eam tanquam ad perfugium advolebant: quas benignissima domina, non modo amanter excipiebat, verum etiam alebat, hac illarum innocentiae non modice delectata. Quis porro credat, Virginem Matrem, Domini verbo foetam, Deoque plenam, summum in puerilibus ludis solatium quaesivisse: quodque absurdum magis, maxima tunc consolatione fuisse sustentatam Dei sponfam ac matrem, dum gestatum utero diaphano Deum ho-

hominem, per medium veluti crystallum, oculis corporeis cernebat: quasi non illum fide feliciter, certius, letiusque cernebat, quem fide feliciter, quam carne conceperat. Beatior Maria fuit percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi: Materne propinquitas nihil Mariae profuisset, nisi feliciter Christum corde, quam carne gestasset: inquit Augustinus lib. de Virginitate Cap. 1. Solatium, inquam ego, longe majus Virgini Matris fuit, quod Christum suo ipsius inclusum utero fide cernebat, quam si oculis carnis aspiceret: plura illi ad solatium fides Mysteria referabat, quam vel lincei oculi conspexissent.

EXERCITATIO XXVIII.

De Virginitate pernegatione in montana Judae regionem suscepta: ejusdemque ad cognatam Elizabetham officioso aditu.

I. UT esse Virgini Christum Dominum pariturae subduxit Angelus, Deusque homo factus in ejus se infudit uterum: peregrinationem in montana Judae regionem suscepit Diva Mater, cognatamque Elizabetham officiosa salutatione convenit. Non civilis dumtaxat urbanitatis officium illud fuit, sed sacrum, religiosum, ac plane Divinum, Mysteriorumque plenissimum, quorum nobis ad praesens explicatio relicta est. Horum aliqua susceptum iter proxime contingunt: alia facta salutaris fructus uberimos: postrema totius officio aditus clausulam complectuntur. De suscepto itinere primo loco exponere juvat: quo distincte tempore illud Virgo suscepit? Quo fine, quove consilio? Quo perterret? quocum tandem suscepit iter? De singulis quippe multas multi fabulas narrant.

II. Excepta salutatione Angelica, hac ipsa die, nulla interposita mora, Virginem peregrinationem suscepisse, seque itinere dedisse, existimarunt Theophylactus, & Beda; ob id forte, quod illam cum festinatione avisse scripserit Lucas Cap. 1. v. 39. Verum aliud longe est, susceptum semel iter facere festinanter, quod de Virgine scripsit Lucas: aliud, Angelo discedente, iter cessatum arripere, quod apertissime negat. Ait quippe: Et discessit ab illa Angelus. Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione in Civitatem Juda. In illis, inquam, diebus: quae loquendi formula susceptum iter innuit, non qua die Angelicam salutationem excepit, sed eo circiter tempore, ac post exactos dies aliquot; ne forte, si suis insalutatis abiret, suspicionem fugerelinqueret.

III. Illud potius scire juvat, quae de causa, quove consilio peregrinatio illa a Maria suscepta tunc sit. Nec enim defuere, qui de Virgine hac in parte minus digne senserunt; Theophylactus, Euthymius, Bonaventura, qui exploranda veritatis causa susceptum ab ea iter existimant: probatur scilicet, verane Angelus nunciasset, dum ait: Ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concipit filium in senectute sua; & hic mensis sextus est illi, quae vocatur sterilis: aut certe majorem experimento ipso dictorum illorum certitudinem quaesitura. Verus longe, digniusque de Virgine pronuntiavit Ambrosius lib. 2. Comment. in Lucam: Ubi hoc audiret Maria, non quasi incredula de Oraculo, nec quasi incerta de nuncio, nec quasi dubitans de exemplo: (sibi ab Angelo dato sterilitas Elizabethae, sextum jam graviditatis mensem ducentis) sed quasi laeta pro vero, religiosa pro officio, festina praegaudia, in montana perrexit. Ecurr enim Angelici verbi veritatem exploratu-

Serry Tom. III.

ra, majoremve illius certitudinem quaesitura peregrinationem suscepisset, quae tanta firmitudine Coelesti Nuncio fidem adjunxerat, ut diceret: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: quaeque de data verbis Angelici fide, ab ipsa Elizabetha impense laudatur: Beata quae creditur, quoniam perficeretur ea quae dicta sunt tibi a Domino? Neque vero reponi potest: creditur Virginem, quod sibi de se fuerat nuntiatum, non quod de cognata Elizabetha. Fides quippe, aut nulla, aut integra est: & si, quod difficilius est, Virgo credidit; se scilicet illa virginitate parituras; quidni quoque credit, quod factus; vetulam depulsa demum sterilitate concepisse?

Non itaque exploranda veritatis causa, peregrinatio suscepta est. Quorsum ergo, inquires? Dicam breviter. Duplex hic facienda est: Virginitatis unius peregrinationem suscipiendam; Dei alter bonam hanc illi mentem singulari quodam afflatu injicientis. Deus certe ea Virginitatis peregrinatione, illud citra dubium intendit facere, quod in ea, ac per eam prodigialiter factum est: Elizabetham scilicet, ejusque in utero inclusum Joannem Spiritu Sancto replere; Dei jam facti hominis notitiam utrique tradere, ut illum suo uterque modo prophetaret. At Virgo ipsa, cui hanc suscipiendam peregrinationem mentem Spiritus Sanctus indiderat, id unum, cum sese dedit irineri, intendit animo: Divinam voluntatem implere. Ut enim sapienter observat Card. Toletus Annotatione 115. in Cap. 1. Lucae: Non habemus certitudinem ullam, neque ex Scriptura ipsa, neque ex Traditione, nec ex Patrum doctrina, Beatae Virginitatis hoc omnia, quae subinde per illam prodigialiter facta sunt, novisse tunc, cum profecta est. Unde ingens illi, in obeunda peregrinatione, fidei & obedientiae accessit meritum.

IV. Iter illam egisse, Josepho comitare, vulgus putat: quod jam essent Matrimonio juncti. At juncti licet essent, Josephum tamen ivisse comitem, non est verisimile. Liqueat quippe ex Evangelio, Matth. 1. v. 19. Josephum, Mariae ex peregrinatione subinde redite, Divinae illius fecunditatis Mysterium ignorasse; ac de illa finitrum quidpiam fuisse suspicatum, ubi gravidam deprehendit, deque illa dimittenda cogitasse. Mysterium porro novisset, Divinaeque sponse graviditatem intellexisset, si factus via comites, parata in Zachariae domo prodigia suis ipse oculis usurpasset, vocemque cognata Elizabetha inaudisset: Benedicta tu inter Mulieres, & benedictus fructus ventris tui: & unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini ad me? Non ergo Josepho comite fecit iter: sed vel sola fecit, ne quem secreto, quae tunc Deus volebat occulta, haberet conscium: vel, quod postulare videbatur honestas, & pudor, sumpta sibi foeda prudenti, gravique Matriona. Quod utrumque tamen incertum est. Quare castiganda omnino venit Picorum audacia, qui, ubi officiosum illum Mariae Virginis ad cognatam Elizabetham aditum adumbrant penicillo, ambasque Matres inter se consulantes representant; binos quoque feniculos, Josephum, & Zachariam mutuae salutationis officium invicem peragentes effingunt. Bina utriusque stoliditate. Namque Joseph, ut probavimus, procul aberat: Zacharias vero surdus aequae erat, ac mutus, peragendae salutationi parum idoneus. Mutum quippe diserte testatur Evangelium Luc. 1. v. 20. Ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem, quo haec fiant, seu nascatur filius: Surdum probat ejusdem Capitis vericulus 62. Inmuetant patri ejus, quem vellet vocari eum: nutibus enim Zachariam interrogare non fuisset opus, nisi fuisset & surdus. Unde pro eo, quod in Vulgata

M 2 legi.

legimus, *Eris tacens, & non poteris loqui*, (quæ tautologia videtur esse) plerique Veterum legunt: *Eris surdus, & non poteris loqui*. Nempe pro *surdus*, quod simpliciter tacentem seu mutum sonat, *mutus* legunt, quod & surdum, & mutum significat. *Incredulitas ei affatum eripuerat & auditum*, inquit D. Ambrosius lib. 1. in Lucam, ad v. 62. Capitis 1. Merito hæc duo passus est, ut neque audiret, nec loqueretur: nam ut non obediens condemnatur surditate; ut autem contradicens, taciturnitate: inquit Theophylactus: cui subscribit etiam Euthymius, ex prificis Interpretibus: ex recentioribus vero Estius, Menochius, Janfenius, Liranus, Toletus, Tirinus, Tillemontius, Alexander, & alii.

V. Difficilioris inquisitionis fuerit, in quam distincte Civitatem iter intenderit Virgo, Zacharia domum, ubi salutarer Elizabetham, aditura. Nihil enim distincte notat Evangelium; sed in montana, in Civitatem Juda abiisse, simpliciter dicit. Unde tanta opinio orta varietas. Jerosolymam aliqui putant, alii Bethleemum, alii Macherontem, nonnulli Emmaus, plerique Hebronem; certa omnes ratione, atque auctoritate destituti. Jerosolyma quippe, non ad Juda, sed ad Tribum Benjamin pertinebat: utque erat Regni sedes, ac Religionis centrum, nupiam Sacris in Litteris, vago illo, atque obscuro *Civitate Juda* nomine designatur, sed suo ipsius proprio. Bethleem, Juda quidem Civitas erat; ac non item Sacerdotalis, in qua Zacharias Sacerdos fixam domum habere possit. Quod idem de Emmaus, & Macherontem dicendum. Ut sileam, Macherontem in Tribu Ruben, non in Tribu Juda fuisse sitam. Quæ demum superest Hebron, (cui & nomen est Cariatharbe) ea quidem, & in Montanis sita erat, & in Juda Tribu posita, & Sacerdotibus in partitione Terræ Sanctæ ad habitandum attributa: Josue 21. v. 13. Quæ res multis fucum fecit, ut eam a Luca, vago illo *Civitate Juda* nomine designatam arbitrarentur. Verum cum vago hujus nominis octo aliæ Civitates essent, *Lobna, Jether, Estemo, Holon, Dabir, Ain, Jeta, & Berbulames*, laudato Josue loco perinde notata, & Sacerdotibus attributa: quis certo statuere audeat, quam ex omnibus Lucas velit intelligi? Imo, cum tot titulis præteraret Hebron, totius Juda Tribus urbs maxima, ac etiam Tetrapolis, per septem annos Davidis Regia, ac olim sub Chanaanais Imperii sedes omnium antiquissima: minus profecto verosimile est, Lucam vago illo, obscuro nomine, Hebronem designasse. Quam igitur Civitatem adierit Virgo cognatam Elizabetham salutaturam, nemo nisi temere certo definiat. Idque unum nobis innotescere voluit Deus: in montanam Judæ regionem Virginem contendisse, ut suscepti itineris asperitatem, ac longitudinem nosceremus. Quartiduo siquidem distat hæc Nazaretho. Quod autem Agridentis Abbatissa sibi divinitus patefactum scribit, Lucam eo *Jude* nomine, (in *Civitate Juda*) non regionem aut Tribum, in qua civitas sita esset, sed civitatem ipsam, quæ eo vocaretur nomine, designasse; sacris litteris aperte repugnat. Ex Civitatibus enim quadraginta & octo, quas Sacerdotibus habitandas attribuit Josue, in Terræ promissæ partitione, nulla eo nomine vocatur, Josue Cap. 21. Imo nec puto, ullam unquam urbem eo nomine dictam esse, sacris in litteris.

VI. Sequitur de factæ salutationis fructibus ut dicamus. Hos paucis complexus est Lucas v. 41. *Factum est, ut audiret salutationem Mariæ Elizabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta est Spiritu S. Elizabeth. Geminum scilicet fructum*

ex facta salutatione consecutum insinuat: Joanni alterum obvenientem, exultationem nimirum in utero; alterum Elizabethæ; datam illi Spiritus Sancti plenitudinem. De quibus multa sunt, quæ vertuntur in dubium.

Ac primo de Joannis exultatione, quæ, & qualis illa fuerit, acriter disputatur. Num videlicet motus ille, atque subsultus in utero, secundum naturam fuerit, an supra naturam? Num ex rationis usu, quo Christum in Virginis utero gestatum nosceret, ortum habuerit? Num inditus illi tunc rationis usus momentaneus veluti fuerit, ac transitorius; an deinceps ad ortum usque continuatus? Num ex tunc sanctificatus sit Joannes; quove genere sanctitatis?

Fuere enimvero ex Heterodoxorum grege non pauci, qui nil nisi secundum naturam in ea Joannis exultatione deprehenderint: merumque pueruli subsultum sint opinati, ex ipsa Matris ejus ad Virginis adventum gestientis exultatione profectum. Quod nempe naturale sit pueris, ut gaudio gestiente matre, ipsi quoque moveantur in utero, ac modo quodam exiliant. Quare quod subinde dixit Elizabetha v. 44. *Exultavit in gaudio infans in utero meo*, sic accipiunt Novatores, ut in gaudio matris, non suo ipsius gaudio exultaverit infans; motuque corporis tantum, non animi exillierit. Impe tamen illi, & imperite. Quamquam enim oclusi in utero pueri motus aliquis, ex gestientis matris letitia, naturaliter edi possit: ipoque etiam nature ductu, atque instinctu subsiliat interdum puer, agiturque: quo pacto Jacob, & Esau in utero Rebeckæ rixatos legimus, Genesis 25. v. 22. eum tamen Joannis subsultum, non a natura fuisse, sed ex peculiari Spiritus Sancti motu, atque impulsu; nec corporis tantum motum fuisse, sed animi, et ipsa Angeli Zachariam ejusdem parentem premonentis testificatione habemus, Luca 1. v. 15. *Spiritus S. replebitur abduc ex utero matris sue*. Neque enim completum id fingi potest, nisi dum ad repentinum Christi utero virginis conclusi adventum dicitur exultasse. Tantumque abest, ut ex matris gaudio exillientis pueri motus sit obortus; ut contra potius, ex ipso exillientis pueri motu, (unde Deum advenisse deprehendit Elizabeth) matris gaudium fit enatum. Quod non obscure notavit Lucas: *Ut audiret salutationem Mariæ Elizabeth, exultavit infans in utero ejus; & repleta est Spiritu S. Elizabeth*: ut Deum, Deique Matrem agnosceret. Apertius vero Patres: Ambrosius lib. 2. Comment in Lucam: *Exultavit infans, & repleta est Mater. Non prius repleta Mater, quam filius; sed cum filius esset repletus Spiritu Sancto, replevit & Matrem*. Augustinus Epist. 57. ad Dardanum, nunc 187. *Repleta est Spiritu S. Elizabeth, quo proculdubio revelante cognovit, quid illa exultatio significaret Infantis: id est, illius venisse Matrem, cuius Precursor ipse, & monstrator futurus esset*. Unde paucis interjectis subinde colligit, quod hic adversus Heterodoxos maxime quaeritur: *Joannes nondum in hanc vitam lucem, tamen exultavit in gaudio: quod utique nisi operatione Spiritu S. fieri potuisset, quis crederet?*

VII. Meliores fortasse Theologi, at peiores certe Philosophi sunt habendi fomiatores nonnulli, quos tacitis nominibus carpit Vincentius Regius lib. Elucidarii Cap. 6. qui cum Joannis exultationem præter naturam, ac miraculo factam agnoscant, motum tamen illum, atque subsultum accidisse ajunt, ex conversione faciei Joannis ipsius versus Virginem, Christumque in ea latentem. Putant scilicet ita, ut puerum in utero fuisse positum, ut faciem in matris dorsum haberet obversam; atque adeo, ut Christum adoraret, faciem ver-

versus matris abdomen obvertisse: unde subsultus ille fit factus, de quo loquitur Evangelium. Ecquis tales mihi Philosophos dedit, de pusionum in matrum uteris situ tam stulte, tam inaniter delirantes? Faciem enim suis ipsorum genibus applicitam habere parvulus, in glomum veluti convolutus, quandiu in matrum uteris delitescunt, docent Phycici, ac ceteri quique nature speculatores. Sed & idem de Christo urgeri posset argumentum; si quod isti fomiatores effutunt, veritatem haberet. Cum enim ipse eadem positione locatus esset, qua ceteri parvuli: si vultum ad Virginis Matris dorsum obversum habuit; debuit ipse quoque ad Matris abdomen obverti; ne ad officiosum Joannis motum, inurbane agere videretur. Apage nugas.

VIII. Videndum meliori titulo, num ex rationis usu, quo Christum in Virginis utero gestatum noverit, ortum habuerit exultatio? Habuisse non dubitaverim, Christumque novisse. Equod enim abque rationis usu gaudium illi esse potuit; quæve sine animi sensu Spiritus Sancti plenitudo ut Christum Virginis utero inclusum dignosceret? Quod tamen utrumque illi tunc inditum notat Lucas, v. 44. *Exultavit in gaudio infans*: & v. 15. *Spiritus S. replebitur abduc ex utero Matris sue*. Hoc ipsum verbis amplissimis testantur Patres omnis ætatis, Sacrarumque Scripturarum Interpretes: Origenes Homil. 10. in Lucam, S. Irenæus lib. 3. adversus hæreses Cap. 18. S. Joannes Chryostomus Homil. 2. de S. Joanne, S. Ambrosius lib. 5. de fide Cap. 4. & Sermone 63. S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, S. Leo Serm. 4. de Epiphania, S. Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 3. S. Gregorius Magnus lib. 7. Moralium Cap. 5. S. Maximus Homil. 2. de Nativitate S. Joannis, S. Petrus Chryologus Serm. 84. S. Bernardus Serm. de Nativit. S. Joannis, Euthymius, & Theophylactus in Comment. in Lucam. Quorum Patrum aliqui datum Joanni jam tunc Propheticum lumen agnoscent; quod nemini nisi ratione utenti concedi potest.

Unus dumtaxat, & alter tot summis Ecclesie Patribus repugnasse videri possunt, D. Augustinus Epist. 57. nunc 187. ad Dardanum, & S. Eucherius Lugdunensis in Questionibus in vetus, & novum Testamentum, quæst. 3. in Lucam. Sed nec ille sum non jure repugnant. Augustinus quippe questionem hæc versat quidem laudata Epistola; nec satis ex Evangelio dirini posse putat, propterea quod illic Joannes in gaudio exultasse dicitur: cum, ut ait, exultationem non solum parvulorum, sed etiam peccatum videamus; non utique de aliqua fide, vel religione, vel quacumque rationali cognitione venientem. (Quæ tamen, bona pace dicam, exceptio inutilis est: cum Joannis exultatio ex spirituali gaudio sit orta, atque ex effusa Spiritu S. plenitudine; qualis profecto non est peccorum, & jumentorum.) Questionem nihilominus non definit Sanctissimus Doctor: sed ut ut maxime ita de illa pronunciat: *Etiam si usque adeo in illo puero acceleratus est usus rationis, & voluntatis, ut intra viscera matris jam posset agnoscere, credere, consentire, quod in aliis parvulis etas expectatur, ut possint: etiam hoc in miraculis habendum est Divine potentie; non ad humane tractandum est exemplar nature*. Quod quis negat, aut etiam vertat in dubium? Sed & lib. 2. de Consensu Evangelistarum Cap. 15, quod memorata Epistola infanciam videbatur, disertissime ponit. Joannem enim Christum aptea novisse probat, quam columbam capiti ejus, dum baptizatus est, insidentem cerneret: quia etiam in utero matris exultavit, cum ad Elizabeth Matrem venisset. Quæ certe probatio inutilis esset, ac sensu vacua, nisi exultationem agnosceret Augustinus ex rationis usu profectam.

Eucherium vero quod interest, perperam dicitur repugnasse. Proposita quippe questioni: *Ad adventum Matris Domini, quomodo Joannes abduc sensu carens in utero posuit exultare matrem?* Respondet paucis verbis: *Hoc magis Matris sensu, vel gaudio, a quibusdam factum estimatur, ut etiam interioribus posset exultare visceribus*. Aut certe, si hoc ad Joannem potius referre placet, inter miracula Divina reputandum est. Quo responso primam solutionis partem, quæ Joannem sensu carentem ponit, Matris potius exultasse gaudio, quam suo, aliis, usque obscuris Interpretibus tribuit: alteram, quæ Joannem suo ipsius gaudio, atque ita mentis, voluntatisque actu exultasse divinitus asserit, certam suam sententiam profert. Atque ita nihil a cæterorum Patrum Interpretatione discedit.

IX. In eo longe verius Sacrarum Scripturarum Interpretes inter se diffidentes invenio: Num inditus tunc Joanni rationis usus momentaneus fuerit, ac transitorius, an ad ortum usque, ac deinceps sit continuatus? Et quidem ex patenti miraculi conditione illud necesse non erat, ut datus illi rationis usus perennaret: sed Christo statim agnito, ac demonstrato, peractoque, ut ita loquar, Vatis officio, obscurari mens illi potuit, atque in pristinum statum redire: quemadmodum in cæteris Prophetis, postquam ad prædixerant, quæ Deus per eos volebat populo significari, non ultra Prophetice Spiritus perennabat. Verum quamquam continuari in Joanne rationis usum necesse omnino non esset: fuisse tamen re ipsa continuatum, verisimiliter existimo. Hujus mihi sententiæ Auctores sunt Origenes, & Ambrosius, qui Joannem primo Virginali aditu sanctificatum, virtute deinceps etiam in utero profectum ajunt: Ille quidem Homilia 9. in Lucam: *Si ex eo, quod tantum venit Maria ad Elizabeth, & salutarit eam, exultavit infans in gaudio, & Spiritu Sancto plena Elizabeth prophetavit, & in una hora tantus profectus habuit: nostra coniectura relinquatur, quid in tribus mensibus Joannes profecerit, assistente Maria Elizabethæ. Valde quippe indignum est, in puncto hora, atque momento exultasse infantem, & quodammodo lascivisse, repletamque esse Spiritu Sancto Elizabeth: per tres vero menses, nec Joannem, nec Elizabethæ ex vna Matris Domini, & ipsius Salvatoris presentia profectum. Ille vero lib. 2. Comment. in Lucam: *Non sola, inquit, familiaritatis est causa, quod apud Elizabetham Maria diu mansit, sed etiam tanti Vatis profectus. Nam si primo ingressu tantus profectus exiit, ut ad salutationem Mariæ exultaret infans in utero, repletur Spiritu Sancto Mater Infantis: quantum putamus usu tanti temporis Sanctæ Mariæ addidisse presentiam? Quis porro Joannis profectus trium illorum mensium spatio potuisset esse absque rationis usu; profectus, inquam, intelligentiæ, & cogitationis? Sed & eundem animi sensum, mentisque intelligentiam habuisse nascentem puerum, scribit laudati Doctores, qui Zacharie parentis ipsius Canticum, ab eodem recens nato probe intellectum opinantur. Origenes Homil. 10. in Lucam: *Si dubitas, statim de utero Matris effusus probe verba Patris audire, & scire, quid sit hoc, quod de se dicitur: Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis: considera multo fuisse mirabilius, quod processit: Ecce ut facta est vox salutationis tue in aures meas, exultavit infans in gaudio in utero meo. Si enim in ventre Matris conclusus audivit Jesum, & audiens exiit, atque letatus est: quare non credas, eum jam genitum prophetiam patris audire, & intelligere potuisse dicentem ad se: Et tu puer Pro-***

pheta Excelsi vocaberis: antequam enim coram Domino parare vias eius? Ambrosius vero, laudato jam lib. 2. Comment. in Lucam, idem illud Zacharie Canticum exponens: Sed forsasse aliqui quasi irrationabilem mentis excessum putant, quod Zacharias octo dierum alloquatur infantem. Verum, advertamus, intelligimus profecto, quod potuit vocem Patris natus audire, qui Mariæ salutationem, antequam nasceretur, audivit. Sciebat profecto alias esse aures Prophetæ, quæ Spiritu Dei, non corporis ætate referantur. Habebat intelligendi sensum, qui exultandi habebat affectum. Quibus subscribit etiam Theophylactus, eundem Evangelii locum exponens. Rarum videtur, quod Zacharias ad puerum loquitur adhuc insensatum. Quomodo potuit loqui? Dicendum igitur, quod, sicut veram, & admirabilem habuit nativitatem puer, qui exultavit, & prophetavit in utero ad adventum Mariæ; sic non est mirum, si etiam ea, quæ a patre dicebantur, intellexit. Non sic tamen rationis usum continuatum habuisset Joannes putandus est, quasi ante solitos discretionis annos ad quæcumque intelligenda valeret: (hoc enim, iudice Doctore Angelico 3. p. quæst. 27. art. 3. speciale Christi privilegium fuit) sed sola Mytheria gratiæ, quorum notitia ad Præcursoris officium pertineret; hancque ipsam intelligentiam exterius tunc actibus minime prodidisse.

X. Ex dictis hæcenus illud perinde consequens est; Joannem in utero sanctitatem fuisse adeptum, eamque uberrimam, cumulatifsimamque, in gratiæ habitualis, virtutum; atque donorum infusione positam. Ea quippe omnia recitato Angeli elogio continentur: Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero Mariæ suæ. Subscribit insuper Ecclesiæ Patres: Origenes Homil. 10. in Lucam: Sancta erat anima Beati Joannis; & adhuc in matris utero clausa, venturaque in Mundum, quasi per experientiam sensum sciebat, quæ Israel ignorabat. Cyprianus Epil. 73. quæ est ad Jubajanum? Gratia Divina in utero matris Joannes impletur. Athanasius Serm. 4. contra Arianos, Per multi fuerunt sancti puri omnis civitatis: siquidem Jeremias in utero sanctificatus fuit, & Joannes, dum adhuc a gravida matre gestaretur, exultavit in gaudio ad vocem Deiparæ Virginis. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3. Cum gestaretur in utero, a Spiritu Sancto sanctificatus est. Ambrosius lib. 2. in Lucam, In Joanne prius fuit Spiritus gratiæ, quam vitæ; exterioris scilicet respiratiōis. Gregorius Magnus lib. 3. Moralium Cap. 5. Intra matris uterum spiritus prophetiæ repletus est, prius, ut ita dixerim, renatus, quam natus. Omnium vero discretissime B. Petrus Damiani Sermone 1. de Joanne Baptista, memoratum Præcursoris elogium aliter exaggerans: Neminem unquam mortalium intra maternæ viscera sanctificatum legimus, præter Joannem Baptistam, & Jeremiam. Sed longo minor Jeremias sanctificatio, quam Joannis. Ille quidem in utero matris sanctificatus est, hic repletus Spiritu S. fuisse cognoscitur. Multo quippe excellentius est, Spiritu Sancto repleti, quam sanctificari. Ibi enim sanctificatio emundationem, hic repletio inundationem signat. Denique & Apostoli, qui manibus suis tractaverunt de verbo vitæ, cum Spiritum Sanctum accepissent de Salvatoris afflatu, vix quinquagesimo a Resurrectionis die ad illum gradum potuerunt pervenire, ut diceretur de eis: Repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Et licet Spiritus S. largiori tunc munere credentium corda repleverit; hoc tamen Joannes legitur in utero affectus, quod Apostolica celsitudo tandem longiori permissione potuit obtinere.

XI. Cæterum: num ea sanctificationis gratia, qua in utero cumulatus est Joannes, regenerationis etiam fuerit; qua nimirum absterio originis vitio renatus in Christo fit, qui in Adam carna-

lis conceptionis lege mortuus erat, subdubitant Patrum aliqui, eo maxime titulo, quod nemo renasci in Christo possit, nisi fuerit antea natus. Sic Augustinus Epil. 57. ad Dardanum: Excepto angulari lapide Christo, non videtur, quomodo edificentur homines in Dominum Dei, ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cum fuerint renati: sed non possunt esse, antequam nati. Quamlibet itaque sententiam de prægnantibus, imo de hominibus habeamus, adhuc intra maternæ viscera constitutis: utrum existimemus, eos donari posse aliquo sanctificationis modo, nec ne: vel propter Joannem, qui nondum in hanc editus lucem, tamen exultavit in gaudio: (quod utique, nisi operatione Spiritus Sancti fieri potuisset, quis credat?) vel propter Jeremiam, cui Dominus dixit: Priusquam exires de ventre sanctificavi te; tamen illa sanctificatio, qua efficitur, & singuli templa Dei, & in unum omnes templum Dei, non est nisi renatorum, quod nisi nati homines esse non possunt. Sic & D. Bernardus Epistola 174. quæ est ad Canonicos Lugdunenses: Certissime Spiritus Sanctus, quem replevit, sanctificavit. Cæterum quatenus adversus originale peccatum hæc ipsa sanctificatio valuerit, sive pro isto, sive pro Jeremia, sive quis alius simili prævenit est gratia, non temere dixerim. Sanctificatio tamen non dubitaverim dicere, quos Deus sanctificavit, & cum eadem sanctificatio prodidisset ex utero, quam acciperent in utero: nec reatum, quem in conceptione traxerunt, valuisse ullatenus horum natali jam donatam præpedire, seu præcipere benedictionem. Attamen quis dicat: Spiritu Sancto repletum manere adhuc filium nihilominus ire, & si mori in utero contigisset, cum hæc plenitudine Spiritus prænas lustrum damnationis? Durum est. Minime tamen ausim, hinc quidpiam mea sententia definire. Verum que tandem illa fit dubitandi ratio, plane non video: cum illud potius certissime conflet, non posse quemquam sanctitate donari, simulque originali peccato teneri: Dei per gratiam amicum fieri, simulque per originale peccatum iræ filium remanere: Divinæ naturæ participem fieri, simulque Diabolo mancipari. Quod etiam ab illis principum ponitur: Neminem renasci in Christo posse, qui non fuerit antea natus, minus urget. Quamquam enim in communis regeneratione, quæ Baptismi Sacramento confertur, id locum habeat: quia eum salutaris unda nequit abluere, cujus, aut corpus integrum, aut pars illius aliqua extra uterum non prodierit; in ea tamen regeneratione, quæ occulta Dei virtute, ac miraculo fit, duplex discernenda nativitas est: altera quidem in utero, quæ & conceptio de more dicitur: altera ex utero, quæ nativitatis nomen vulgo sortitur; satisfique, ut renasci in Christo quis possit, omnino est, si natus in utero fuerit, seu conceptus: cum vel sic originali peccato teneatur, & gratiæ sanctificantis divinitus suscipiendæ sit capax.

Non me fugit, D. Augustinum (cum quo mihi contendere pudor est; cogor tamen, ne Ecclesiæ de Joannis sanctificatione traditionem omnino deferam) eam duplicem nativitatis distinctionem impetere, arguta sane ratiocinatione: nimirum; si Conceptio Nativitas quoque vocetur; regeneratio, quæ Baptismate fit, non secunda, sed tertia nativitas computabitur; quam videlicet duplex nativitas in utero, & ex utero antecessit. Sed quidni Conceptionem, sensu quidem exposito, Nativitatem vocemus, quam vel sic vocat Evangelium, Luca 1. ubi de prægnante Virgine Dei Matre ab Angelo dictum est: Quod in ea natum est; de Spiritu S. est? Sic enim conceptus in utero Christus, in Virgine natus dicitur. Nec propterea, ut objicit Augustinus, regeneratio, quæ

Ba-

Baptismate fit, tertia nativitas dicitur: quia, ut advertit Doctor Angelicus, quæ binæ nativitates antecedunt, in utero, & ex utero, pro unica reputantur, quod ejusdem naturæ sint, & conditionis. Dux istæ nativitates in uno conveniunt, secundum quod contra tertiam dividuntur; utraque enim illarum carnalis est: hæc vero spiritualis. In 3. Sentent. Dist. 3. quæst. 2. Art. 1.

XII. Atque id de Mariæ Salutationis fructibus in Joannem derivatis. Hos proxime sequuntur, qui in ejus matrem Elizabetham promanant; effusus nimirum in eam Spiritus S., inditumque propheticum lumen, quo Deum in utero virgine factum hominem novit, ac predicavit: Unde hoc mihi bonum, ut veniat mater Domini ad me? In quo singulare illud, ac præter naturæ ordinem Patres observant: in Elizabetham Joannis plenitudinem derivasse, non ex Elizabetha in Joannem: in eum ferre modum, quo ex Christi plenitudine ipsa quoque Virgo Mater accepit, non ex matre Virgine Christus. Vocem prior Elizabethæ audivit: sed Joannes prior gratiam sensit. Illa naturæ ordine audivit; iste exultavit ratione Mysterii: illa Mariæ; iste Domini sensit adventum. Iste gratiam loquuntur; illi intus operantur; pietatisque Mysterium maternis adorantur profectibus, dupliciter miraculo prophetant matres spiritu parvulorum. Exultavit infans, & repleta mater est. Non prius mater repleta, quam filius: sed cum filius esset repletus Spiritu Sancto, replevit & matrem. Ambrosius lib. 2. in Lucam. Quamquam alia Christi, alia Joannis fuerit plenitudo: primigenia illa, ac plane nativa: ista deducta, atque a Christo Domino derivata.

XIII. Fructus etiam Mariæ Salutationis aliquos in Zachariam promanasse, eundemque ex Spiritu Sancti plenitudine, quo donatus est filius, aliquid accepisse, nil dubito: quamquam nullo tunc externo signo prodiderit: sed tunc tantum, cum natus filius circumciscus est. Ex filii quippe spiritu prophetasse tunc Zachariam, uti antea prophetarat Elizabeth, Patres passim affirmant, ac ipsa quoque profertur Ecclesiæ, de Joanne dum canit:

Ventris obstrufo positus cubili,
Senseras Regem thalamo manentem;
Hinc patens Nati meritis, uterque
Addita pandit.

Postremum illum Mariæ Salutationis fructum, restitutam scilicet Zachariæ loquendi facultatem, datamque prophetandi vim, illustriorem ut faciant aliqui, Zachariam Joannis patrem, non secundi Ordinis Sacerdotem jaçant, sed omnium summum, atque Pontificem: quæ præcis olim Patribus sententia stetit, D. Joanni Chryostomo Homil. 12. in Cap. 3. Matthæi, D. Augustino Tract. 49. in Joannem, D. Ambrosio lib. 1. Commentariorum in Lucam; ac nuper etiam Cardinali Baronio, in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos. Id ut adstruant, gemino nituntur fundamentum: tum quod a Luca Cap. 1. Sacerdos dicitur de vice Abia, sanctusque Sacerdotio in ordine vicis suæ; cum summi, ut ajunt, Sacerdotes, per vices sacrum ministerium obirent: tum quod incensum adoleret Domino; staretque a dextris altaris incensum, dum illi conspicuus factus est Angelus: quod summi tunc Sacerdotis atque Pontificis proprium esset.

Summorum tamen virorum bona pace dicam, totum id, inutilibus admittendum. Nec enim summi Sacerdotes atque Pontifices, per vices, ut fingitur, ministrabant, itaque per fortes obibat munia; cum unus duntaxat esset, ac sine socio: sed secundi Ordinis Sacerdotes, quos ob nimiam illorum multitudinem, in classes viginti quatuor

distribuerat Salomon, varique illis per fortes distribuerat ministeria, ut ex lib. I. Paralipomenon Cap. 24. perspicuum est. Quare eo potius momento evincimus, Zachariam Joannis Patrem, secundi duntaxat Ordinis Sacerdotem, non summum omnium, atque Pontificem extitisse: quod esset de vice Abia; (hæc enim octava classis erat, & ab Abia illius familia capite nomen acceptum,) & Sacerdotio fungeretur, poneretur incensum, in ordine vicis suæ. Errantque qui putant, duos interdum fuisse simul Sacerdotes summos, qui summum quoque ministerium per vices obirent: Ludunturque Annæ & Caiphæ exemplo perperam intellectu, quos Lucas Cap. 3. Evangelii principes Sacerdotum appellat. Solus enim Caiphæ illius anni Pontifex erat, ut habetur Joannis 18., sed eo quoque, ad honorem duntaxat & titulum, gaudebat nomine Anna illius Socer, quod eo primum munere functus esset.

Nec oblatio incensum, unius summi Sacerdotis atque Pontificis munus erat, ut dicitur; verum etiam secundi ordinis Sacerdotum. Quamquam enim in Sancto Sanctorum, quo uni summo Sacerdoti, seu Pontifici, & quidem semel in anno, patebat aditus, aureum thuribulum esset, ut notat Apostolus ad Hebræos 9. v. 4. ex tabat nihilominus extra Sancta Sanctorum, altare thymiatis, ut habetur Exodi 30. ubi ex æquo & summus Sacerdos, & secundi ordinis Sacerdotes thura adolere soliti erant: Ille quidem quotidie, mane, & ad vespem, quando lucernas concinabant; ut habetur v. 7. & 8. alii vero alii horis, ac per vices, ut colligitur ex Levitico Cap. 21. v. 6. Non enim solus Aaron, sed & filii ejus, qui certe summi cum illo Sacerdotes non erant, adolabant incensum super altare holocausti, & super altare thymiatis, ut habetur lib. I. Paralipomenon Cap. 6. v. 49. & lib. II. Cap. 26. v. 18. Nullo igitur vincitur argumento, Zachariam Joannis patrem, summum fuisse Sacerdotem atque Pontificem: quem certe, si eo titulo auctus esset, vago Sacerdotis nomine non indicasset Lucas, in Evangelio Cap. 1. v. 5. fuit, inquit, in diebus Herodis Regis Judææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias; sed eundem a summa in sacris dignitate, commendasset; ad facti quod enarrat celebritatem augendam, sanctissimique Præcursoris natales illustrandos. Adde- rim, ex Josepho lib. 18. Antiq. Judicarum Cap. 1. & 3. facile liquere, quo circiter tempore Zacharias Angeli alloquio recreatus est, mudoque filius ejus Joannes illuxit, Joazarum Pontificem extitisse: quippe qui paulo post, a Zuirinio Syriæ præfide, peracto Judææ censu, (de quo loquitur Evangelium Lucæ 2.) pontificali dignitate exutus est. Zuirinius Senator Romanus, per omnes honorum gradus ad consulatum usque promotus, & in primis clarus, a Cesare mittitur in Syriam, ut jura populis redderet, facultatesque censeret omnium. Et cum eo venit Coponius, præfectus turmæ equitum, penes quem esset totius Judææ rerum administratio. Zuirinus & ipse Zuirinus in Judæam venit, jam attributam provinciam Syriæ, ut percenseret facultates, ejus regionis civium, & Archelai pecunias in potestatem suam redigeret. . . . Zuirinus autem vendidit, & consecratis Archelai facultatibus, præfideque censu, qui incidit in annum trigentesimum septimum, post victoriam a Casare in Actiaca pugna Antonium, cum mora esset contra Joazarum Pontificem plebis seditio, prioris eum hac dignitate, & Ananum Serbi filium substituit. Quare nullus sub id tempus, Zachariæ pontificatus reliquitur locus.

XIV. Sed ad officiosi aditus clausulam, de qua nos postremo loco dicturos spondimus, veniamus.